



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Decretum de reformatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

CANON XXXII.

Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut, ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

REMISSIONES.

Vide Sayr. de Sacram. in genere li. 2. c. 2. q. 9. art. 3.

CANON XXXIII.

Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de iustificatione, à sancta Synodo hoc præsentis decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei deniq; ac Christi Iesu gloriam illustrari; anathema sit.

Decretum de reformatione.

CAPVT I.

Pralati non residentes minimè possunt suum ministerium implere: renouantur canones aliquando promulgati contra non residentes: modusq; datur contra Episcopos absentes à propria diœcesi per sex menses continuos.

EAdem sacrosancta Synodus, eisdem præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, ad restituendam collapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam, deprauatosque in Clero & populo Christiano mores emendandos se accingere volens, ab ijs, qui maioribus ecclesijs præsentibus, initium censuit esse sumendum. integritas enim præsentium, salus est subditorum. Confidens itaque per Domini

D 5

ac Dei

ac Dei nostri misericordiam, prouidamque ipsius Dei in tertis Vicarij solertiam, omnino futurum, vt ad ecclesiarum regimen, onus quippe Angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordijs vsque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundum venerabiles beatorum *a* Patrum sanctiones assumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus ecclesijs quibuscumque, quouis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos esse vult, vt *b* attendentes sibi, & vniuerso gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, *c* in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ouium suarum, quorum *d* sanguis de eorum est manibus à supremo iudice requirendus, custodiæ minimè incumbant: cum certissimum sit, *e* non admitti pastoris excusationem, si lupus oues comedit, & pastor nescit. Ac nihilominus, quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cælestibus, ac diuinis humana præferentes, in diuersis curijs vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ouili derelicto, atque ouium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos: placuit sacrosanctæ *f* Synodo *g* antiquos *h* canones, qui temporum atque hominum *i* iniuriæ penè in defuetudinem abierunt, aduersus non residentes promulgatos innouare; quemadmodum virtute præsentis decreti innouat, ac vltèrius, pro firmiori eorundem residentia, & reformandis in Ecclesia moribus, in hunc, qui sequitur, modum statuere atque sancire. *7* Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, seu Cathedrali ecclesia sibi quocumque titulo, causa, nomine seu iure commissa, quacumque ille dignitate, gradu, & præ-

a c. in sacerdotibus, &c. Episcop. 41. dist. c. si. 59. dist. c. inf. Sess. 24. de ref. c. 1. b. *Alf.* 20.

c 2. Tim. 4. Ioan. 10. c. sit rector. 43. dist. 43. dist. c. aduersus 1. q. 1. c. nisi, de remone. d. *Exech.* 33. c. 34. *Alf.* 20. *e* *Eph.* 42. dist. c. 1. 13. q. 1. c. inf. Sess. 24. c. 1. in fi. de ref.

f c. peruenit cum multis seqq. 7. q. 1. de cler. non resid. per totum c. c. cum ex eo, de elect. in 6. *g* *Alf.* in 6.

& præminetia præfulgeat, legitimo impedimento, seu iustis a & rationabilibus b cæulis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam dioccesim morando abfuerit: *a Vide Sess. 23. c. 1. de ref. ubi cause subindican- tur. b c. ex tua, de cler. non resid. quoniam §. porro, ut li. non cõ- test. c. infr. Sess. 23 de ref. c. 1. & 2.* & quartæ partis fructuum vnus anni, fabricæ ecclesiæ, pauperibus loci per superiorem Ecclesiasticum applicandum, pœnam ipso iure incurtat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseverauerit; aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente verò contumacia, vt seueriori sacrorum canonum censuræ subijciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur: qui in ipsos absentes, prout cuiusq; maior aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis auctoritate animaduertere, & Ecclesijs ipsis *d. c. ex parte de cl. non res. §. 1.* de de Pasto-ribus vtilioribus prouidere poterit, sicut in Domino nouerit salubriter expedite.

R E M I S S I O N E S.

Vide P. Valeri. Reginal. in praxi fori pœnitent. lib. 30. tract. 3. num. 58.

β Antiquos canones. Videlicet cap. peruenit, cum multis sequentibus 7. q. 1. c. cum ex eo, de elect. li. 6.

γ Si quis à Patriarchali, &c. Vide P. Azor. Institut. Moral. part. 2. lib. 7. cap. 6. col. 825. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloss. 41. num. 9.

δ Quarta partis fructuum vnus anni, &c. Vide Fr. Emman. in addit. ad bullam Cruciatæ, par. 2. fol. mihi 215. verso.

ε De Pastoribus vtilioribus. Concordat text. in cap. ex tua, de clericis non residentib. cap. quoniam, §. porro, vt lite non contestat.

CAPUT II.

Nulli obtinenti beneficium quod requirit residentiam licet non reside-
re, nisi ob rationabilem causam ab Episcopo approban-
dam, deputandi nihilominus Vicarij ob cu-
ram animarum, &c.

Episopi inferiores, queuis beneficia Ecclesiastica 2 per-
sonalem residentiam de iure siue cōsuetudine exigen-
tia, 3 in titulum siue Commendam obtinentes, ab eorum Ordina-
rarijs, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimi-
ne, & diuini cultus augmento, 4 locorum & personarum
qualitate pensata, 5 expediens videbitur, opportunis iuris re-
medijs 6 residere cogantur: S nulliq; priuilegia, seu indulta per-
petua de non residendo, aut de fructibus in absentia perci-
piendis, a suffragentur. Indulgentijs verò & dispensatio-
nibus temporalibus, ex veris & 7 y rationalibus causis tan-
tum concessis, & coram Ordinario legitime probandis, in
suo robore permanentis: quibus casibus nihilominus of-
ficium sit Episcoporum, tanquam in hac parte à Sede b A-
postolica delegatorum, prouidere, vt per deputationem
idoneorum vicariorum, & congruæ portiois fructuum
assignationem, cura animarum nullatenus negligatur:
nemini, quoad hoc, priuilegio seu exemptione quacum-
que suffragante.

a. s. de ref.
c. 6.

b. s. cum ex
ca. de elect. in
6 c. benefico
de reg. 20. lib.
et inf. Sess.
7. c. 3. & 7 de
ref.

DECLARATIONES.

De residentia Episcoporum amplè agitur Sess. 23. c. 1. de Reform.

1 *Episcopi inferiores*] De residentia Parochorum vide similiter vt
supra: nam circa residentiam attenditur ordinariè dispositio dict. c. 1.
Sess. 23. de Refor.

2 *Personalem residentiam*] Obtinens beneficium, licet ad sit titu-
lus alicuius Sancti, dummodo sit simplex, non tenetur in eo residere,
nec eum ad residentiam potest cogere Episcopus.

3 *In titulum siue commendam, &c.*] Quando Abbatia cura & con-
uentu caret, non est Abbas cogendus residere. Vide Sess. 23. c. 1. de Ref. 5.
& alia.

4 *Loco*

4. *Locorum & personarum qualitate pensata.*] Nulli tamen est adi-
ciendum onus extra fundationem beneficii aut consuetudinem.

5. *Expeditur videbitur.*] Per hoc non datur facultas Ordinarijs di-
spensandi à residentia ex quavis ratione.

6. *Residere coguntur, &c.*] Prouisus ab inferiori collatore de benefi-
cio personalem residentiam requirente, compellendus est per Ordina-
rium ad residendum.

Habens Archidiaconatum Palentin in eo tanquam in digniori lo-
co residere debet, & ibi residens, potest percipere omnes fructus
Theauri Legionen. præterquã distributiones quotidianas, in quas
si Theaurarij ipsius ex Decreto Concilij Sess. 21. cap. 3. esset conuer-
sa tertia pars; illam percipere non potest, nisi ibi resideret atque in-
feruiret.

Episcopus obtinens beneficia simplicia, nõ potest cogi ad aliquod
personale seruium suis beneficijs impendendum; cum ex antiquis-
sima totius Ecclesiæ consuetudine non teneantur, nisi ad officium
secutandum.

Episcopus non potest cogere obtinentem Capellaniam, vt ipse
met celebret, licet in eius fundatione disponatur, quod Rectores ce-
lebrent Missam: recte enim per substitutum satisficit.

7. *Rationabilibus causis.*] Canonic. Capuanus fuit per annum excu-
satus à residentia ex Congregationis declaratione, dum modo eo
tempore in loco viciniore habitaret, & quod inimicitia essent sine
eius culpa ortæ.

Alius Canonicus Aretinus, qui fide iusserat de recedendo ab vrbe,
fuit à residentia fideiussione durante similiter excusatus, & inhibi-
tum Ordinario, ne contra eum procederet.

De Commendatariorum ordinatione Annotationes quadam.

Commendatarij non tenentur promoueri ad sacros Ordines,
Primo si vel monasteria carent omni prorsus cura & conuentu.
Secundo, si vel habeant tantum Iurisdictionem temporalem. Tertio,
si cura animarum sacramentalis conuentui soli incumbit, non autem
personæ Commendatarij. Quarto, si vel Iurisdictionem, quam ex
concessione Sedis Apostolicæ habent, nõ possint actu exercere, quia
de facto prohibentur. Quinto, si eam Iurisdictionem spiritualem a-
ctu exercent, & non curam animarum habere videantur, c. *Dudum*
c. *Licet de elect.* vbi Hostien. Ioan. Andr. Bellam. Ancar. Card. Burr.
Abb. c. *super eo, de preb. in o. extrauag. Execrab. in fin. vbi gloss. vers.*
visitare, de presb. & dignitas. in Extrauag. Ioan. XXII. tamen quia
ex larga significatione esse dicitur, Innoc. & alij c. Cum satis, de offic.
Archid. & c. de multa, de preb. Staphl. de stat. & qual. benef. num. 20.
Idcirco regulariter Commendatarij non erunt cogendi suscipere sa-
cros ordines, sed quandoque, pro locorum & personarum qualitate
expe-

expedit eos ad id cogere arbitrio Sanctissimi. Sed an ad sacerdotium, vel sufficiat ad Diaconatum; vide *Card. Clem. 1. q. 10. de off. Vic. Mil. verb. curatum. in fi. Rebuff. in prax. benef. tit. de non promot. n. 32. & intra quod tempus, & antè, cum Decreto irritante. Supr. hoc e. §. Commendatarij.*

Si verò cura animarum Sacramentalis, siue Monachorum, siue personarum secularium, incubuerit personis Commendatariorum, tenebuntur sacris ordinibus initiari, An verò exprimendum sit præcisè quod promouendus sit ad sacerdotium, & intra annum, & quod alias ipso iure priuari sint, vide *ad cap. Licet canon. de elect. in 6. ubi glof. vers. sacerdotium, & vers. commendandos, & Clem. Ne in agro. §. ceterum. de stat. Monach.* sicut & pro eo: An distinguendum sit, si Commendam in anno 22. obtinuerit, teneatur promoueri ad sacerdotium intra 25. annum.

Cæterum conuenit vt in Gallijs indistinctè Commendatarij teneantur promoueri ad sacros ordines, ideoque in concessionibus Commendarum Gallicarum apponatur Decretum, & infra annum sacris iniiciantur; alioquin post annū elapsū, yacent ipso iure commenda: quarum si quæ existunt de Monasterijs omni prorsus cura & conuentu carentibus, eo casu S. D. N. aliquam Commendatariorum habebit rationem.

De residentia Commendatariorum.

Commendatarij non tenentur residere, Primò si monasteria carent omni prorsus cura & conuentu. Vel si habeant tantum Iurisdictionem temporalem. Tertio si cura animarum sacramentalis soli conuentui incumbit, nō autem personæ Commendatarij. Quarto si vel Iurisdictionem spiritualement, quam ex concessione Sedis Apostolicæ commendatarij habent, non possint actu exercere, quia de facto prohibentur. Quinto amplius, licet Iurisdictionem spiritualement exerceant, non ideo tamen tenentur residere ex hoc Concilii Decreto, sess. 23. cap. 1. §. *Eadem omnino.* quod licet exprimat de curatis & alijs quibuscumque beneficijs animarum curam habentibus, quæ verba ad solam quoque Iurisdictionem spiritualement referri possent, e. Dudum, & c. Multæ & Extraneæ. Execrab. d. e. Super eo, tamen intelligendum est, de sola cura animarum sacramentalis: & ideo qui solam curam Iurisdictionis spiritualis habent, non comprehenduntur in Decreto, neq; pœnis in eo inflictis subiacent, sed tantū poterunt cogi residere, pro vt ante Concilium tenebantur, ad terminos e. Dudum 6. & dist. 6. Super eo, & d. Extraneæ. Execrab. ad quod etiam ius vetus videretur Concilium alibi seretulisse. Si verò cura animarum sacramentalis seu Monachorum seu personarum secularium, incumbit personis Commendatariorum, tenebuntur residere ex Decreto Concil. Sess. 23. c. 1. Vide supr. §. In titulum.

A quo

A quo visitari possint Commendatarij.

Dicebatur Concilium videri subiecisse Commendatarios Ordinarijs in materia residentie per præsens Decretum. Idemque cum de incompatibilitate agitur. Sess. 7. cap. 4. aut de cura animarum sacramentali, quam ipsimet Commendatarij exercent. Sess. 25. cap. 11. de Regul. Extra istos autem casus Conciliū nihil in specie decreuisse, à quo Commendatarij possint visitari & corrigi: Considerandum autem esse, quod ea hodie opinio recepta sit: Commendatarios perpetuos pro veris titularibus haberi, & Iura de Abbatibus & Prioribus loquentia, habere etiam locum in hisce Cōmendatarijs, probatur c. Nemo, de elect. in 6. Chassan. in consuet. Burgund. rubr. 9. §. 9. Rebuff. de nominat. q. 8. num. 29. de pacific. poss. num. 96. & 43. Gomez. in form. resign. 4. num. 2. & de idion. q. 5. num. 6. Consequens ergo videtur, ut, quemadmodum Abbates à suis superioribus regularibus visitari debent, ita etiam ipsi Commendatarij visitari possint. Quod si hoc omnino conuenire aut decere videtur, rursus aduertendum, an nullo expresso Iure, nullaque clara concessione Apostolica ab his visitentur, & quantum se exemptos probarent, posse tamen ab Ordinarijs indicari ratione rei, contractus, aut delicti, ut sanxit Constitutio Innoc. IV. cap. 1. de privilegijs in 6. quam Concilium innouauit, atque etiam ampliavit in causis mercedum & miserabilium personarum, etiamsi certus Iudex à Sede Apostolica in partibus deputatus esset, & generaliter quoque in alijs causis si certus Delegatus non adesset, ut dicitur Sess. 7. c. 14. Quod materiam tamen visitationis visum est plerisque, non posse Commendatarios nomine Commendæ visitari, neque corrigi, nisi à Delegatis sedis Apostolicæ. sed quia aliqui Ordinarij hanc facultatem sibi competere credunt, & ob id vident aliquos Commendatarios, Sanctitas sua iussit, ut audiantur Commendatarij, quibusnam rationibus se ab hac visitatione tueantur. ideo eis auditis, amplius erit deliberandum.

Item dubitatum fuit, An Commendatarij eorum Monasteriorum, quæ habent conuentum, à suis Superioribus regularibus visitari ab Ordinarijs locorum visitari & corrigi possint? Ad hoc autem responderetur; quod licet Concilium Trident. Sess. 24. cap. 11. de Commendatarijs nõ meminerit, in illa commemoratione personarum quæ ab Ordinarijs visitari debent, non obstantibus quibuscumque privilegijs eis concessis; Congregatio censuit, si nullius diocesis sint, ad Episcopos nullum ius pertinere, sed ad Sedem Apostolicam: si vero in certa diocesi sunt; quoad residentiam subiacere Episcopo ordinario loci, per cap. 2. Sess. 6. & eidem, quod incompatibilia. Sess. 7. cap. 14. Et ponderando quod cap. 14. loquitur de commendatis, cap. 5. dat iurisdictionem Episcopis. Quod verò spectat ad visitationem & correctionem, congregatio censuit eos non posse ratione commendæ visi-

visitari aut corrigi, nisi à summo Pontifice aut eius delegato, licet Al-
 eiatus, qui aduersabatur, diceret, *Visitator est Delegatus*. Ratione aut
 delicti rei contractus; ad ius commune se remiserunt, pro vt Conci-
 lium se remisit, illudq; amplianit, vt supr. c. 4. Sess. 7. quod est nota-
 dum, cum Concilium per d. innouauerit. c. 1. de prouil. in o. quod inci-
 pit, Volentes.

REMISSIONES.

Vide Mandos. de signatura gratiz, tit. de dispensat. de non resi-
 den. fol. 46. Horat. Luti. de priuileg. scholast. priu. 98. Matth.
 Soar. in pract. & ordine visitandi, c. .n. 5.

Nulq; priuilegia seu indulta perpetua de non residendo, &c. Vide
 P. Paul. Comitol. respons. moral. li. 1. q. 60. n. 6. Cened. pract. & Can.
 qu. lib. 1. qu. 1. nu. 32. vbi resoluit per clausulam illam generalem non
 fuisse derogatam Eugenianam constitutionem.

Rationalibus causis. Quatuor causas legitimz absentiz nominat
 Concil. Trid. infr. sess. 23. cap. 1. Vide P. Paul. Comitol. d. qu. 60. nu. 5.
 P. Valer. Reginald. in praxi for. poenit. lib. 30. tract. 3. n. 54.

CAPVT III.

Excessus secularium clericorum & regularium agentium extra mo-
 nasteria, ab Ordinario loci, vt deputato à Sede
 Apostolica, corrigantur.

Ecclesiarum Pralati ad corrigendum subditorum ex-
 cessus prudenter ac diligenter intendant: & nemo
 secularis Clericus, cuiusvis personalis, vel regularis, & extra
 monasterium degens, & etiam sui Ordinis priuilegiū a preteritu tu-
 tus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab Ordinario lo-
 ci, & tamquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum
 canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

fort. legatū
 vel cuius-
 vis ordinis
 regularis.
 infr. Sess. 11
 de ref. c. 1. &
 4. 2. Sess. 14.
 c. 4. & 5. de
 ref. v.

DECLARATIONES.

Ecclesiarum Pralati. Episcopi in hoc Decreto agere possunt con-
 tra omnes professores militiarum Hierosolymitanarū, exemptis ob
 priuilegium Pij V. etiam si dicti milites extra locum suorum ordinū
 cum licentia suorum Superiorum, degerent. Idem censuit Congre-
 gatio in omnibus alijs Regularibus, qui degunt extra Monasterium,
 etiam

etiam cum licentia suorum Superiorum, si deliquerit, posse puniri à locorum Ordinarijs, iuxta hoc Decretum.

2. *Extra Monasterium degens.*] Intellige de degente sine licentia superioris, vide c. 24. Sess. 25. de Regul. Si deliquerit.

Fuit dubitatum, Vtrum existentes in aliqua domo ad erectionem Monasterij destinata, comprehendantur in hoc Decreto? Et fuit resolutum sub die 24. Maij 1588. quod licet ibi existerent de licentia suorum Superiorum, tamen si non haberent in dicta domo Priorem seu Guardianum, & non viverent iuxta institutum Regule illius Religionis, comprehendantur in dicto Decreto, & ab Ordinario puniri possunt: non posse autem, si in ea domo sub Superiore conuentualiter viuant.

3. *Ab ordinario loci.*] Presbyter delinquens in sua Diocesi, si in altero loco comperitur, ad suum Ordinarium remitti debet.

REMISSIONES.

α *Celestiarum Prælatis.*] Concordat cap. cum proprie, de vita, & honest. Cleric.

β *Cuiusvis personalis, vel regularis.*] Nau. conf. 21. de Regularibus, quamvis dubius videtur existimare hoc decretum nihil derogare priuilegijs Ordinum militarium in his, quæ pertinent ad sacros milites. Alijs probabilius videtur, eos non esse comprehensos, ait enim Nau. vbi supra: litteram veram prædicti decreti claritatem desiderari, quoniam eam, quam habemus, subdifficilis, & subobscura videtur, quod attinet ad illa verba, *cuiuscunque personalis* Ceterum littera huius decreti non videtur obscura Auctoribus statim citandis, & iuxta eos illius sensus est: Nullus Clericus sæcularis cuiusque personalis, videlicet priuilegij prætextu, vel regularis extra monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegij prætextu tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à sede Apostol. delegato secundum canonicas sanctiones visetur, puniri, & corrigi valeat. referunt P. Azor. Instit. Moral. 1. p. lib. 13. c. 4. q. 3. pag. 1281. Fr. Emman. quaest. Regular. tom. 2. q. 2. art. 7. per totum, & q. 63. art. 7. vers. Quinto.

γ *Etiam sui ordinis priuilegij prætextu.*] Decisionem tex. in extrauag. cum Mattheus 3. de heret. inter commun. non corrigi per hanc text. in præsen. ti, testatur Cened. in Clem. & Extrauag. collect. 14. num. 3. cum seqq.

δ *Tanquam super hoc à Sede Apost. delegato.*] Dum hic tribuitur Prælatis iurisdictio corrigendi excelsus subditorum, concessum esse Prælatis Regularum priuatiuè ad Ordinarium in præsen. ti, testatur Menoch. de præsumpt. li. 2. q. 12. n. 21. Cened. ad decretal. collect. 87. n. 4. vers. secundò.

E

CAPVT

CAPVT IV.

Quarumcunque ecclesiarum minorum Capitula, toties quoties voluerit Episcopus & alij maiores Prælati, &c. visitent, corrigant, emendent, non obstantibus, &c.

de Sess. 25. c. 6.
de refor. & c.
de Sess. 14

Capitula a Cathedralium 1 & aliarum 2 maiorum Ecclesiarum, 3 illorumq; persona, 4 nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententijs, & iuramentis, 5 Concordijs, quantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint; quo minus 6 à suis Episcopis & alijs maioribus Prælati, 7 per se ipsos solos, 8 vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta b canonicas sanctiones, toties, 9 quoties opus fuerit, 9 visitari, corrigi & emendari, etiam auctoritate Apostolica, 10 possint & valeant.

si infr. Sess.
de refor.
cap. 6.

DECLARATIONES.

- 1 *Capitula Cathedralium.* Episcopus sua Capitula visitare potest & corrigere si non sunt exempta: si vero exempta esse, seruanda est forma præscripta à Concilio Sess. 25. c. 6. ad Reform.
- 2 *Et aliarum maiorum Ecclesiarum.* Neque enim Collegiarum Capitula visitari possunt per hoc decretum.
- 3 *Illorumq; persona.* Ita est resolutum à Congregatione, non obstantibus priuilegijs ex fundatione. Præsupposito autem quod res & bona Capitulorum sint exempta Iurisdictione Episcopi, an sicut Episcopus visitare potest Capitula, ita etiam possit res & bona rerumque & bonorum administratores visitare? Congregatio die 6. Junij 1587. censuit Episcopum in visitatione formali posse res rerumq; administratores visitari, alias delusoria esset visitatio, si negligentes & bonorum vlturpatores non castigaret. *Archid. in cap. Romana, de censib. in 6. Fus. in suotraç. de Visitat. lib. 1. c. 15. num. 30. & alibi.*
- 4 *Nallis exemptionibus.* Si capitula erunt exempta, tenebuntur seruare decreta illius Concil. Prouincialis, cui interfuit eorum Episcopus.
- 5 *Concordijs.* Fuit resolutum à Rota & à Congregatione Concilij ex mente Gregorij XIII. hunc textum non tollere Concordias confirmatas à Sede Apostolica ex scientia certa: sunt autem sublata illæ que dantur in forma communi, tum indistinctè concedantur ab officio contradictarum citra scientiam Pontificis. Itaque ad dubium quod mouebatur: An scilicet per hoc capitulum, & Sess. 25. cap. 6. dero.

derogatum sit Concordijs non confirmatis per sedem Apostolicam? Congregatio respondens censuit derogatum esse Concordijs omnibus præterquam confirmatis specialiter à Sede Apostol. Videatur gl. in c. veniens. de tran. ad. Alex. cons. 62. vol. 1. quibus innotesceat quod Concordiæ reliquæ tollantur, quæ suos dumtaxat tenent auctores: Infr. hoc e. s. in hoc.

Abulensium questio.

Exrat in Ecclesia Abulensium statutum, quo datur forma procedendi in causis criminalibus, ubi agitur de corrigendis beneficiariis Ecclesiæ, tam in visitatione, quam extra: & in multis casibus soli Episcopo Jurisdictio tribuitur. Illud statutum non est ex certa scientia à Sede Apostolica confirmatum: siquidem nec Papa id exprimit, nec statuti tenor vel illius substantia saltem compendiosè in confirmatione refertur. Roman. late. cons. 327. num. 7. Et sequent. Et cons. 336. post. num. 2. Panor. cons. 102. num. 3. lib. 1. maxime quia licita & honesta tantum confirmantur: quod solum, satis ostendit confirmationem esse in forma communi. Panorm. in c. extra. nu. 6. de confirm. vitil. vel inutil. Imol. in c. pen. ad fin. co. tit. Alexand. cons. 1. lib. 5. Et quod fortius est, neque etiam in ipsa confirmatione statutum istud aliquo modo designatur, nec quicquam exprimitur, quo Pontifex verisimiliter intelligere potuit, in eo statuto de Jurisdictione agi, at sub nube ac verborum involuero, narrata prius substantia aliorum quorundam statutorum aliò pertinentium, quoad materiam Jurisdictionis, omnia statuta Ecclesiæ confirmantur: Unde indubitatum est, confirmationem istam non esse ex certa scientia, ut in specie de statutis generaliter confirmatis tradit Alexand. cons. 59. numer. 8. in 1. Bur. cons. 108. numer. 25. lib. 1. His stantibus, credimus confirmationem istam non suffragari, quo minus per Concil. Trid. fuerit sublatum statutum hoc: nam etsi Sacra Congregatio iam resoluerit statuta confirmata non esse à Concilio reuocata, (quod aliter tenuit Rota in illa Palentin. Jurisdictionis, de qua per Achil. de eis. 1. de confirmat. vitil. vel inutil. & passim seruatur) illud tamen non videtur recipiendum, ut quælibet statutorum confirmatio etiam in forma communi, ad præseruanda statuta sufficiat: cum istius generis confirmatio, parum vel nihil operetur. Card. Cons. 44. nu. 6. Imol. de pen. ult. in fin. de confirm. vitil. vel inutil. Curt. lun. Cons. 312. num. 6. multoque minus videtur illud recipiendum, quando (ut in casu nostro) sub involuero & generaliter, omnia statuta confirmantur, ex eo quod optimè in proposito scribit Bart. in l. ex placito. col. 3. num. 12. in fin. Cod. de re. perm. ut. ubi ait quòd statuta non dicantur Papalia, si illa generaliter fuerint confirmata: secus si aliquod Statutum in individuo confirmetur, ut sequitur Aretin. cons. 8. post. numer. 6. Hoc enim casu, cum non videatur concurrere duplex

vinculum saltem considerabile, cessat ratio qua mota fuit Congregatio, ex dictis Archil. descripta & gloss. in *Clem. Dudum, vers. pacta, de sepult.* ibi; quod derogatio pactorum non trahitur ad confirmata, nam hoc intelligendum est de confirmatis in indiuiduo, & cum causa cognitione: quo casu vinculum duplex videtur considerabile, vt gloss. sentit, dum presupponit sententiam etiam fuisse latam pro validitate pacti: & in illa *Palentin. Jurisdictionis*, totius tenor concordia erat insertus in confirmatione, prout etiam in confirmationibus tunc scriptis videre licet. Et cum materia ista: An decreta Concilij sustulerint, necne Concordias confirmatas, fuisset semper dubitabilis, nisi sacra Congregatio omnem controuersiam diluisset, & magna hinc inde argumenta adferri possint, maximeque vrgent verba Concilij in presenti Decreto, ibi; *nullis concordijs*, quae verba per sui generalitatem trahuntur etiam ad Concordias confirmatas secundum Bonif. in *dicta Clem. Dudum, §. nos etiam num. 14* non debet tam facile declaratio Sacrae Congregationis trahi ad eas concordias, quarum confirmatio non solum non fuit obrepta ex certa scientia, sed nec in indiuiduo. Quare vt omnis disputandi materia tollatur, & clarius appareat quid Illustrissimi in hoc articulo sentiant, supplicamus in sacra Congregatione proponi: An confirmatio statutorum Ecclesiae Abulens. sit talis, quae praeseruet statum eiusdem Ecclesiae, vt non includatur sub decreto Conc. sess. 6. c. 4. & sess. 25. c. 6. vel potius, An huic statuto per decreta praedicta censetur derogatum?

Horatius Mandosius respondet.

Presupposito Decreto Sacrae Congregationis, quo Concordiae in forma communi conceptae & a Sede Apostolica generaliter confirmatae, censentur sublatae per Concilium praesenti capitulo, die Iouis, 3. Nouemb. 1586. Congregatio auditis vtriusque Advocatis, eorumque rationibus diligenter perpensis, censuit illas tantum confirmatas intelligi praeseruatatas in Decretis Concilij, quae emanauerunt ex certa scientia & cum causae cognitione: ceteras autem penitus esse abrogatas.

6. A suis Episcopis.] Non autem a Vicarijs, etiam generalibus. Si enim Episcopus velit visitare ex hoc decreto, debet id personaliter agere: sicut si ex alijs Concilij Decretis; cum per suum Vicarium id agere possit, aut Visitatorem, si modo legitime impeditus fuerit, vt permittitur in *fr. sess. 25. c. 6.* etiam si de Visitandis exemptis ageretur, cum dictum capitulum exemptiones tollat, tamen si iuxta cap. 8. *sess. 22.* de visitandis hospitalibus, Subcollectores & alij Officiales Sedis Apostolicae minime comprehenduntur, ne quidem quoad ostensionem titularum, sub hoc decreto.

7. Per seipfos solos.] Quando solus Episcopus possit haec facere, cum quibus

quibus Notario, & Fiscali, quo in loco, & quæ crimina &c. vide infr. sess. 25. c. 26.

8. *Vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis.*] Episcopus potest in Visitatione personarum sui Capituli assumere aliquos in actu visitationis quos voluerit, etiam extra gremium Capituli.

An Episcopi incumbentes Correctioni & visitationi exemptorum vigore facultatis eis tanquam Sedis Apost. delegatis à Concilio tributa, procedere valeant contra Conservatores impediētes, præsertim si illi extra Diocesim commorentur? Congregatio censuit die 16. Mart. 1589. Episcopum posse procedere.

9. *Visitari corrigi, & emendari.*] An liceat Episcopo visitare volentium suum Capitulum, in edictis publicis præsuppositis & in Concionibus promulgatis, pronunciare prouocando quoscumque, etiam sub pœna excommunicationis denunciare, vt deponere debeant, si aliqua sciant vel habeant contra Capitulares & eorum vitam & mores? Congregatio censuit Episcopo non licere.

An Episcopus visitans possit tanquam suspectus recusari? Congregatio censuit non posse, nisi in visitando modum excesserit.

An Episcopus in speciali visitatione possit exigere Iuramentum? Congregatio censuit posse in speciali.

10. *Possint, & valeant.*] Hæc facultas non est priuatiua ad illos qui ius habent visitandi, & corrigendi; vt sunt Abbates, Decani & similes: quia istis licet visitare & corrigere seorsum ab Episcopis.

In hoc Decreto includuntur Capelle, Canonicatus, & alia beneficia non curata, requirentia residentiam; si tamen alias sunt incompatibilia, & temporis longitudo non obstat quin ab Episcopo compelli possint ad dispensationes exhibendas. Et quia mens Concilij est tollere Concordias quæ tantum suos obligant auctores, idè dicendum est quod si tantum est confirmatio in forma communi, non obligat successores, *gl. in c. Veniens, de transact. Communis text. est Alex. conf. 62. n. 2. lib. 1.* & quia aliqui dicunt pacta confirmata non tolli per generales derogationes; Interpretes Concil. Trid. intelligunt hoc de confirmationib. ex certa scientia, *Alex. conf. 95. n. 12.* & in statutis eorum vult *Aret. conf. 7.*

Dubitatum adhuc fuit tempore Sixti V. An intelligantur præseruatæ Concordiæ confirmatæ in forma communi, an verò illæ quæ sunt ex certa scientia tantum? Hinc inde multa fuerūt dicta. Tandem resolutum fuit die 13. Nouemb. 1586. à Sacra Congregatione, fuisse præseruatæ tantum Concordias confirmatæ ex certa scientia; cum aliæ quæ conceduntur in forma communi, concedantur ab officio contradictarum, & officio pœnitentiæ, citra scientiam Pontificis. *Idem sup. §. Præsupposito.*

Vide melius de istis materijs in sess. 25. c. 6. de Reformatione.

REMISSIONES.

Vide Fr. Emman. qu. Regul. tom. 2. q. 21. art. 7. P. Azor. Institut. Mor. p. 2. li. 3. c. 40. à princip. & præcipue q. 4.

β *Capitula cathedralium.* Sacra Cardinalium congregatio ita censuit. Subcollectore, & alij Official. Sed. Apost. minime comprehenduntur, neque quoad ostensionem titulorum sub hoc decreto, refert Gonza. ad reg. 8. Cancel. gl. 51. n. 81.

γ *Quoties opus fuerit visitari.* Sacra Cardinalium congregatio ita censuit. Hæc facultas non est priuatiua ad illos, qui ius habent visitandi, & corrigendi, vt sunt Abbates, Decani, & similes: quia istis licet visitare, & corrigere seorsum ab Episcopis.

Et iterum. An visitatio, de qua in cap. 4. sess. 6. & cap. 6. sess. 25. de reformat. eatenus competat ex his decretis Episcopis, vt non liceat Decano, & Capitulo Regulares personas ipsi Capitulo subiectas cumulatiue cum Episcopo, seorsum tamen ab eodem, non excludendo ipsum Episcopum, toties, quoties sua auctoritate vti voluerit, visitare, corrigere, & emendare iuxta consuetudinem hactenus obseruatam? Congregatio Concil. censuit imò totaliter licere Decano, & Capitulo visitare subditos suos. Has decisiones referunt Gonzal. ad reg. 8. cancel. §. 2. pro c. m. nu. 21. Stephan. Gratian. discep. forens. c. 154. num. 40.

CAPVT V.

Pontificalia in aliena diocesi non exercentur, aut ordinatio fiat sub pœna suspensionis ab exercitijs &c.

Nulli Episcopo liceat cuiusvis priuilegij, prætextu **γ** Pontificalia in alterius diocesi exercere, **δ** nisi de Ordinarij loci expressa licentia, **ε** & in personas eidem Ordinario subiectas tantum, si licet factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati, **α** ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi.

Sess. 4. c. 2.
Vide i. Ni-
ca. c. 17. & 2.
Arelat. c. 13.
& Amiac. c. 13. Sard. c.
18. & 19. &
3. Carth. c. 20
& 21.

Indictio futura Sessionis.

Conc. Arel.
3. c. 15. c. pla-
euit. c. i. sequ.
7. q. 1. & in fi.
Sess. 14. de
ref. c. 3. & 5.

PLACET ne vobis proximam futuram Sessionem celebrari die Iouis Feria 5. post 1. Domin. subsequentis Quadragesima, quæ erit dies 3. mensis Martij: Responderunt, PLACET.

DECLA-

DECLARATIONES.

1 Pontificalia in alterius Diœcesi.] Cardinales in aliena Diœcesi potestatem non habent consecrandi Ecclesias profanatas, nisi de indulgentia Papæ.

2 Nisi de Ordinarij loci expressa licentia.] Non potest Prælati inferior, etiam exemptus, huiusmodi licentiam concedere, sed Ordinarius loci, qui communiter esse ille intelligitur Episcopus in cuius Diœcesi locus est constitutus.

Patriarcha habens aliquas Ecclesias sibi immediate subiectas in aliena Diœcesi, non potest dare licentiam exercendi pontificalia in aliena diœcesi sine consensu Episcopi Diœcesis.

Capitulum sede vacante potest concedere licentiam extero Episcopo exercendi Pontificalia in eorum Ecclesia, & ordines conferendi, tam Clericis illius Diœcesis quam alterius; iuxta tamen formam huius Decreti, quæ exteris habentibus dimissorias suorum Episcoporum facultatem non negat ordines recipiendi ab Ordinario, legitimam ad id potestatem habente. Confer cum declaratione sess. 7. c. 10. §. Capitulum.

3 In personas eidem Ordinario subiectas tantum.] Episcopus in alterius Diœcesi de licentia Ordinarij loci, non potest ordinare personas, quæ non sunt subiectæ illi Ordinario, nisi habeant dimissorias generales à suis Ordinarijs, nec potest de licentia Ordinarij ministrare Sacramentum chrisimatis. Huc spectat c. 1. sess. 7. de Reform. Non excluduntur tamen propterea Clerici aliarum Diœcesium, (si suas licentias dimissorias habeant) quo minus possint ab Episcopis extraneis in aliena Diœcesi, de licentia Ordinarij Pontificalia exercere, ordinari. Neque Episcopus, qui nullum habet Episcopatum, potest in sua Ecclesia Iurisdictionali, (velut si esset Præpositura) sine expressa licentia Episcopi, intra cuius fines Diœcesis præpositura existit, chrisma conferre, nec alia Pontificalia exercere.

Nec etiam potest Episcopus Pontificalia exercere in loco exempto Iurisdictionis, non Episcopi, sed inferioris; etiam vocatus ab ipso inferiore, sine licentia Episcopi intra cuius Diœcesis fines esset locus ille, etiam si ille inferior prætenderet ratione exemptionis vocare Episcopum quem maluerit ad ministrandum Sacramentum confirmationis: dummodo locus ipse exempti sit intra fines Diœcesis alienius, ita ut non esset nullius; quia tunc posset, sicuti S. D. N. Greg. XIII. declaravit.

Vicarius generalis non potest concedere hanc licentiam nisi habeat speciale Mandatum, gl. vers. non extendat, c. cum nullus, de temp. ordin. in 6.

REMISSIONES.

Concordat Concil. i. Nicæn. cap. 17. Concil. 2. Arclat. cap. 13. & Antioch. cap. 13. & Concil. 3. Aurel. cap. 15. & Concil. 3. Carthag. cap. 20. & 21. cap. placuit cum seq. 7. qu. 1. & cap. 1. 13. qu. 1. cap. nullum Episcopum, cum tribus seqq. 9. qu. 2. Vide Nauar. conf. 69. de sentent. ex commun. Cened. ad Decretum collect. 52. à princip. P. Henric. in sum. p. 2. lib. 11. cap. 3. §. 2. in fin. lit. S. Salzed. ad Bernard. in pract. cap. 26. lit. A. Gutrier. Canon. li. 1. cap. 26. & 26. Flamin. de Resignat. lib. 1. q. 17. num. 17. Zerol. in praxi episcop. p. 1. verbo Archiepiscopus nu. 2. pag. 16. & p. 2. verbo Episcopus, pag. 45. Petr. Ledefm. in sum. p. 1. tract. de Sacram. Ordinis cap. 8. conclus. 4. dub. 4.

β Nulli Episcopo.] An etiam Archiepiscopo? Affirmat Cou. pract. cap. 9. num. 2. cum gloss. in cap. 1. in 2. notab. de offic. ordin. li. 6. In terminis nostris text. allegas Zerol. d. verbo Archiepiscopus, ver. Ad secundum, ubi respondet ad tex. in c. 1. eum similibus, de Auctoritate, & vsu pallij.

γ Pontificalia in alterius diœcesi exercere.] Quod Episcopus, & Vicarius habeant facultatem faciendi actus voluntariæ iurisdictionis extra territorium, resoluit Stephan. Gratian. disceptat. forens. c. 127. à princip. & nu. 6. dicit quod possunt concedere dimissorias in aliena diœcesi.

Verum Episcopus extra territorium existens possit excommunicare, & absoluerè subditum suum? Affirmat Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloss. 62. num. 12. ubi num. 11. resoluit, quod potest Episcopus extra suam diœcesim iurisdictionem contentiosam exercere, quando causæ cognitio non vertitur, & effectus confertur in suam diœcesim, de quo etiam Gratian. dict. cap. 127. num. 8.

δ Ordinarij loci.] Quod etiam Episcopus in aliena diœcesi, & delicta Ordinarij pontificalia exercens, possit clericis alienarum diœcesium, si suas literas dimissorias habeant, ordines conferre, docet Fr. Emman. in sum. p. 2. c. 14. n. 7. concl. 7.

ε Ab executione ordinum.] Quod ordinatio proprij Episcopi extra territorium valeat, licet puniri possit, resoluit P. Henric. in sum. p. 2. lib. 11. c. 3. §. 1. in fin. lit. S.

ζ Sint ipso iure suspensi.] Hoc procedere etiam si inaduerterentur faciat benedicendo calices, vel corporalia, resoluit Zerol. in praxi episcop. p. 2. verbo Episcopi, verf. Secundò.

SESSIO